B. N. C
FIRENZE
1042
6

1042. 6

Digitized by Google

MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1042
6

XXXVII
GRAD

10424

1047 | 6

A I

IN FVNERE CAESARIS RASPONI S. R. E. CARDINALIS.

ORATIO

STEPHANI GRADII RAGVSINI
BIBLIOTHECAE VATICANAE
PRAEFECTI.

ROMAE,
Ex Typographia Franciſci Tizzoni. MDCLXXVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

1042.6

EMIN.MO, ET REV.MO D.D.

FRANCISCO

S.R.E. CARD. NERLIO.

STEPHANVS GRADIVS
Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus. Felicitatem.

CLARORVM Virorum facta, moreſque poſteris tradere, idque expleta recens eorum mortalitate ex loco ſuperiore apud apertas tunc maximè ad talia populi aures cum prædicatione, & laudibus exequi, vetus huius Ciuitatis, & propè cum ipſius Vrbis mœnibus natus mos eſt: vtque laudatoris huiuſmodi partes aſſumeret, prout quiſque defunctum hominem aut cognationis, aut amicitiæ neceſſitudine attigiſſet. Sic à Iulio Cæſare Iuliam amitam, vxoremque Corneliam, ſic à M. Cicerone Seruium Sulpitium, ſic à Conſule Cornelio Tacito Rufum Verginium laudatos accepimus: ſic etiam neceſſe eſt ſine diſcrimine loci, atque ordinis præſtantibus dignitate viris te-

nuioris fortunæ contigiſſe laudatores, quorum non ita facile eſt catalogum texere, quod ſcriptoribus in prodenda rerum, hominumque memoria ſublimia quæque duntaxat, & (vt Liuius ait) in illuſtri poſita monumento ſpectare placet. Hunc ego morem, nequaquam, vt pleraque alia laudata, obſoletum penitùs, aut intermiſſum erga maximum virum Cæſarem Raſponum Cardinalem, rebus humanis nuper ereptum, ſeruare magna ex parte conatus ſum, contexta, & ſcripto conſignata ſatis prolixa diſputatione ad modum orationis funebris, quaſi in Ampliſſimo Ordine Veſtro, vt moris interdum eſt, pronunciatæ, quæque hac ipſa de cauſa pronunciata non eſt in ſolemnibus exequijs, quas illi in Aede ſacrarum Virginũ, quæ à Sanctiſſima Incarnatione nominatur, amici, clienteſque priuatim celebrauimus. Quam ſcriptionem, quia video cœteris pleriſque viris doctis non improbari: Tibi verò, Princeps Eminentiſſime, etiam placere, & laude dignam videri, ſecurus aliorum de ea cenſuræ, & quia egregij viri fama, præclara vtique, & magna, qualicumque præcone, futura, antiquior mihi omnibus meis rationibus eſt, publicare in animo habeo, & vt in manus eruditorum, qui vſquam terrarum ſunt, quàm fieri poteſt, ornatiſſima perueniat, operam dare; excellentium virtute, ac dignitate virorum ope ſubnixus, & præcipuè Tua, Princeps Eminentiſſime; Cuius idcircò nomen, ac titulos in fronte circumferens grata cùm alibi gentium, tùm maximè in Vrbe, & cœtera Italia ſpecies eius, & accepta, & fauorabilis accidat. Pluribus autem, grauibuſque de cauſis ad Te potiſſimum reſpexi,

ſpexi, & primum omnium, quia Te Patronum in locum amiſſi clariſſimi huius Patroni, eique & ſanguinis propinquitate, & geſtorum in Eccleſia munerum communione, & ſimili morum, vitæque integritate iunctiſſimum, adſciſcendum mihi conſtitui, eaque gratia literario aliquo munuſculo propitiandum; vnde extaret publicum, ac perpetuum obſequij erga Te mei monumentum. Quantulum autem diſtat hoc, quod affecto clientelæ erga te ius atque honos à iure, & honore hoſpitij, quo dignatus iam à Te ſum? quoque nuper ſplendeſcere mihi licuit in Archiepiſcopalibus apud Florentiam ædibus tuis, intra quas occaſione meæ ad Venetos profectionis per lectiſſimum adoleſcentem Ioſephum Marchionem fratrem Tuum ſplendidè, & magnificè ſemel, atque iterum exceptus à Te ſum, nullo prætermiſſo in me honeſtando officio, quod ad declarandum vtriuſque veſtrum erga me ſtudium, & beneuolentiam pertineret. His accedunt quotidiana humaniſſimi animi Tui argumenta, & honorifica de mea mediocritate iudicia, quæ, ſi minus ipſe me noſſem, minuſque ſæpè reſpicerem ad illud Horatianum

Ne cui de te plus, quam tibi credas,

commouendo animo meo, & vſque ad arrogantiæ culpam extollendo idonea ſint.

Admonet me præterea, vt Te præcipuè tàm hoc, quàm omni alio cultus, & obſeruantiæ genere mihi demerendum ſuſciperem, ſplendidum iſtud munus, in quo ſcribendis epiſtolis, & dandis mandatis, & conſilijs ordinandis, rebuſque omnibus adminiſtrandis,

quæ

quæ ad ſtatum commiſſi Sanctiſſimo Pontifici vtriuſque inter homines imperij attinent, ſumma cum fidei, induſtriæ, & ſolidi conſilij gloria verſaris. In Te ſiquidem, & glorioſos Tuos labores intuentem ſubit iucundiſſima acti me puero temporis recordatio, quo Petrus Beneſſa meus Auunculus hanc eandem Reipublicæ partem ſub optimo Pontifice Vrbano Octauo non ſine aliqua laude gerebat, ſubit inquam

Et patriæ mentem ſtringit pietatis imago,

renouatoque vetere optimi viri deſiderio; in illa Andromachæ Virgilianæ verba identidem effundi iuuat,

Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat.

eòque parua magnis componere, atque habitus animorum corporis lineamentis exprimere, & adumbrare gaudeo; idque vſitato communis humanitatis vitio, vt ſibi quiſque, rebuſque ſuis plus nimio tribuat, ſeque, & ſuos magnis nominibus libenter inſerat. Quidni autem magnum Te audacter appellem, Eminentiſſime Princeps? virum genere clariſſimum, animis, & virtute clariorem: cui nihil eorum, quæ intra ciuilis dignationis modum indulgere homini poteſt, non indulſit fortuna: qui eximium purpuræ Tuæ decus es, ad quam per omnes propè aliorum Magiſtratuum gradus, poſt edita illuſtria pietatis, prudentiæ, & inuſitatæ liberalitatis exempla, & obitas inclytas ad omnes penè Reges Europæ legationes plenus honorum, plenus gloriæ, in ipſo iuuentæ robore perueni-

uenisti, in eaque, auctoritate, gratia, & maximarum rerum tractatione cum primis effulges. Sed continendus eſt non neceſſarius ad illuſtrandam rem omnium clariſſimam verborum impetus, & habenda ratio modeſtiæ Tuæ, Princeps Eminentiſſime, cuius idcirco aures eò magis ab audiendis ſunt abhorrentes laudibus, quò animus ad laude digna facienda paratior eſt.

Im-

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſſ. P. Magiſt. Sac. Pal. Apoſt.

I. de Ang. Archiep. Vrb. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capiſuccus Sac. Palatij Apoſt. Mag. Ord. Præd.

ORATIO.

CAESAREM RASPONVM Collegam veſtrum, Principes Eminentiſſimi, acerbo Eccleſiæ, & omnibus bonis funere nuper elatum, laudandum ne hodierno die mihi, an lugendum, & lamentandum exiſtimem, diu, multumque apud animum meum deliberaui. Quis enim deſiderio ſit pudor, aut modus chariſſimi omnium mihi capitis, quicum annos ipſos quinque, & quadraginta, grande mortalis æui ſpatium, ab vſque condiſcipulatu coniunctiſſimè vixi, adeò intenſis flagrantiſſimæ inter nos vinculis charitatis; vt, ſi in tanta conditionis vtriuſque noſtrum diſtantia ita loqui fas eſt (abſit verbo inuidia) in vnam coaluiſſe animam videremur: cuius maximarum, clariſſimarumque virtutum cultui, & admirationi ita aſſueuiſſem, aſſiduàque earum tractatione, atque experientià ita ſim delectatus; vt ſine illo non modò acerbam mihi vitam, ſed ne integram quidem, aut ſatis ſuperſtitem putem. præſertim quòd, quia natu minor aliquanto me fuit, & vita dignior; clauſos ab illo videri oculos meos æquius, & ordini naturæ conuenientius fuit. Qui ſiccis oculis recordari ſuſtineam illam ſummi viri humanitatem, illum ingenij, vitæque candorem, illam indolem, illos mores, illud effuſum per omnes partes benemerendi ſtudium, & voluntatem; vt affici ſe magno beneficio, quoties ipſe alijs bene faceret, arbitraretur. Et adhùc de priuatis mei doloris cauſis loquor. Quid ſi publicas proferam, ob acceptum grauiſſimum ab Eccleſia, & Republica vulnus, quæ in tanti viri

amiſſione ciuem optimum, iudicem integerrimum, ſenatorem prudentiſſimum amiſiſſet? Nam quid ego de Vrbe ipſa dicam? cuius dignitati, atque ornamentis immane quantū detractum eſt hoc abſolutiſſimæ virtutis exemplo detracto; quippe quod illa inter eorum præcipua recenſebat, à quorum excellenti virtute hoc habet; vt ſe hodiernæ ſuæ maieſtatis, & amplitudinis ne pœniteat, neue opus habeat ad excitandam in externis gentibus erga ſe admirationem, & reuerentiam redire ad faſtos, & veterum ſuorum procerum præclara nomina vſurpare. Næ ego idcirco operæ pretium abundè fecero, ſi datum omne mihi ad dicendum tempus lamentando, quiritandoque conſumpſero.

Rurſus conceptum hunc tanti, ac tàm iuſti doloris impetum reprimit, & retardat incredibilis, ac propè diuina Viri conſtantia, & animi magnitudo, cuius ille luce cum per omnem ætatem eximiè fulſiſſet; in exitu vitæ, vbi talibus maximè opus eſt, ad miraculum vſque refulſit. Vt enim miſſam faciam admirabilem, vèrèque forti, & ſapiente viro dignam in perferendis diuturnis extremi morbi doloribus patientiam, quo ille robore animi, poſtquàm præualentem vim eius intellexit, ad agitanda nouiſſima vitæ conſilia ſe conuertit! quàm intrepidè, quàm ſecurè certum iam, & exploratum vltimæ neceſſitatis nuncium audiuit! Nec enim magis ſollicito animo ad illud ſeſe difficillimum omnium ex hac vita iter ingrediendum accinxit, quàm ſi ad vernam ex vrbe migrationem, ruſticandi cauſa ſuſceptam, accingeretur. quos illi animos caſtè, & innocenter omnis acta vita, & vſurpata per omnem ætatem mortis meditatio, & certiſſima Diuinæ miſericordiæ erga ſe perſuaſio faciebat. Itaque poſt procuratam traditis ex diſciplina Eccleſiæ ſacris, & ritibus animam (quod ille continuò magna cum eximię pietatis ſignificatione tranſegit) nihil iam mortale, nihil caducum, nihil huius vitæ delinimentis addictum ad animum lętum, & bonæ ſpei plenum, atque in Deo defixum, & reclinatum admiſit. Omneque adeò tempus, quod ad effuſum vſque ſpiritum opinione diuturnius interpoſitum eſt, pro obiecta ſibi importuna fruendæ cęleſtis gloriæ mora

inuitus

inuitus propemodum, impatienſque traduxit. Nec verò aliter animatus, ac vſu interdum venire ſolet viatoribus, cum adornato ad iter nauigio, collectis ſarcinis, comparato viatico domo digreſſi, ob improuiſum aduerſi venti flatum in portu ſubſiſtere, & inter valere iam iuſſos amicos nauſeabundi, ſibique diſplicentes verſari coguntur.

Hæc mihi, multaque huiuſmodi reputanti ſubit vereri vehementer ne non ſatis honeſtæ ſint in hoc tàm felici maximi viri fine lacrimæ noſtræ: quibus tamen ſatis, ſuperque ſine teſte, ac priuatim indulſimus: ne notam aliquam amicitia noſtra contrahere videatur, ſi ab eo, cuius conſilijs, ſententijſque per omnem vitam conſilia noſtra omnia, ſententiæque congruerint; in re vna omnium grauiſſima, & prorſus vnicè noſtris omnibus curis, cogitationibuſque ſpectanda diſſentiremus: ne minus æquo animo partam ab eo benè moriendo votorum ſummam accipere videamur, inuidique potius eius felicitati, quàm deſiderij impatientes iudicemur.

Faceſſat itaque omnis animo moeror, omniſque luctus, & in alteram propoſitæ initio mihi deliberationis partem ſe effundat oratio, in prædicationes, inquam, & laudes, quantum ingenij noſtri patietur infirmitas, exequendas. Nec verò dubitandi locus eſt, ne ſuſcepto tanti argumenti onere rudis & indiſerti oratoris ſuccumbat ingenium; cui enim verba deeſſe poſſunt de eo dicenti, in quo celebrando, & laudibus in cœlum ferendo vulgus ipſum, quod indoctum, & rude à ſapientibus audire ſolet, diſertum eſt? Quid enim per hoſce dies in templis, in foro, in circulis, tota denique Vrbe celebrius fuit, quam voces omnis ætatis, omniſque ordinis hominum in eius laudationem certatim effuſæ, eumque honeſtantes magnificis titulis viri boni, ſapientiſſimi hominis, conſtantis amici, egregij Reip. ciuis, amantiſſimi Eccleſiæ filij, ingenio, doctrina, conſilio, pietate præſtantis, alijſque innumeris, quorum ego ſi partem modò, nec eam ſatis magnam in hanc meam diſputationem coniecero, non vereor ne præſtantiſſimo viro laudatorem idoneum defuiſſe dicatis. Verum alia via longè commodiore, & expeditiore hoc ipſum conari in animo eſt, vt ſcilicet

vitam eius, & res geſtas plana, & ſimplici narratione in medium proferam; laudatoris autem partes tacitæ veſtræ exiſtimationi, cogitationibuſque relinquam. Quod ego dum facio, dumque illum ab incunabulis per omnes ætatis gradus deductum, quam breuiſſimè potero, auribus veſtris, animiſq; admoueo, oro Patres Eminentiſſimi vt me, quemadmodum hactenus audiſtis, attentè, & humaniter audiatis.

Natus eſt Cæſar Raſponus apud Rauennam, Vrbem Italiæ cum primis vetuſtam, & nobilem, quæ proximum ab Vrbe Roma dignitatis, & honoris locum, delecto in ea Romanis à Principibus imperij domicilio, diutiſsimè tenuiſſet; ſplendida autem, & inter principes ciuitatis familia, quæ viris fortibus, belliq; & pacis artiũ gloria inclytis ſexcentos amplius annos pollens, potenſque, & clara per vniuerſam Aemiliam, vicinamque Venetiam fuit. Patrem habuit Franciſcum Raſponum, virum generis ſui claritate digniſsimum, de cuius laude, quia, cita morte ſubductus cum filio non vixit dicere prætermitto. Matrem verò Claricem Vainam, quæ ſuper generis antiquiſsimi nobilitatem, & præclaram ad omnem virtutem indolem, hauſtam in gyneceo regnatricis Medicæorum domus ſanctiſsimam diſciplinam mariti penatibus inuexit. Hunc illa felici quinque liberorum prole à ſeſe auctum intra quinquennium cum amiſiſſet; conditiones ſecundarum nuptiarum, quæ fœminæ expertæ fecunditatis, integra iuuenta, & ſecundiſsima virtutis fama omni voto maiores offerebantur, magno animo eſt aſpernata; quòd ſtatutum, fixumque ſibi eſſe diceret, illis vnici coniugij ſui fructibus colendis, & ad maturitatem perducendis laborioſas ſuæ ſolitudinis moleſtias perferre, & conſolari: illud humerorum ſuorum onus, illam curarum materiem, illa dignitatis ornamenta futura, mundumque ſuum vniuerſum muliebrem; quomodo Cornelia mater Gracchorum iactantibus ſua monilia, ſuaſque gemmas alijs fœminis claro ad poſteritatis memoriam exemplo dixiſſe traditur. In huius gremio educatus à pueritia Cæſar nequaquam mollem illam, & eneruem, qua matrum vulgus vti ſolet erga filios, indulgentiam expertus eſt, ſed potius patrui

trui ſeneritatem. qua tamen ne magnopere opus eſſet, præclara faciebat pueri natura, & ad omnem capeſſendam virtutem mirificè factum ingenium. Inter has autem virtutes princeps meritò fuit neceſſarius ille ad initium ſapientiæ Dei timor, & animus erga hanc ipſam parentem egregiè pius, & obſequens, quem ille animum non modo ad ſenectutem vſque retinuit; ſed ad memoriam quoque poſteritatis extendit, excitato magnifico in Aede Lateranenſi monumento, vbi nomen eius, & tituli, & laudes ampliſſimis conceptæ verbis, & pretioſo inſculptæ marmori legerentur. Nec verò res erat hac tàm illuſtri ſpecie non digniſſima, quæque nunc tenacius in ſolidi ædificij lapidibus hæreat, quàm olim in auctoris viſceribus, & medullis hæſiſſet. Nihil illi matre dulcius, nihil venerabilius fuit, nec ſibi magis, ſuoque ipſius animo, quam illi placere, & obſequi enitebatur, fructumque vel maximum ſuorum omnium in virtute, & dignitate proceſſuum, omniſque adeo ſuæ felicitatis in eo ponebat, quod felicem vnà ſecum parentem faceret. Vt rediuiuum cerneret ætas noſtra laudatum illud in Martio Coriolano filialis pietatis exemplum, qui cum cœteri rerum à ſe præclarè geſtarum vnum propoſitum haberent gloriæ præmium, in eoque conſiſterent; ille hanc ipſam gloriam ad redituram ex ea matris lætitiam porrigebat. Hoc illa tàm prolixum erga ſe filij ſtudium vel vna, quam in eo liberaliter inſtituendo adhibuerat, diligentia iure ſibi debitum effecit. Cum enim haud ſatis confideret præceptorum, exemplorumque copiæ, quam in Patria eam in rem haberet; cœpit conſilium plenum dignitatis, & prouidentiæ migrandi domo, ſeque cum vniuerſa familia in Vrbem conferendi; vt filij à prima ætate Romanis moribus, hominibuſque aſſueſcere inciperent, inque litteris, & bonis artibus inter magni nominis doctores, & condiſcipulos adoleſcerent, ſimulque Laurentij Magalotti materni auunculi, illuſtri per ea tempora Gregorij XV. Pontificis Maximi gratia, & magnarum rerum adminiſtratione florentis, auctoritate, & conſilijs vterentur.

Excepit aduentum horum in Vrbem aucta in immenſum

domus

domus Barberinæ, arcta ſibi propinquitate connexæ fortuna, Vrbano VIII. poſt breue tempus ad Summum Pontificatum euecto. Quæ res magno Raſponis vſui fuit tùm ad conſtituendam rem familiarem, tùm ad amplificandam dignitatem. Auctus ſiquidem eſt ab Vrbano Cæſar duobus deinceps ſacerdotijs, & honoris amplitudine, & fructuum vbertate in ciuitate præſtantibus, altero in æde Laurentiana, cui à Damaſo nomen eſt, altero poſt hoc dimiſſum in Baſilica Lateranenſi. Quibus ille Eccleſijs per omne Pontificatus illius ſpatium operam ſuam, induſtriamque nauauit magna cum diligentiæ, & pietatis laude, ſed præcipuè Lateranenſi, cuius prætereà memoriæ, ac dignitati egregiè conſuluiſſe viſus eſt, edito luculento de rebus eius commentario. Quo ille opere memoris, & grati erga altricem ſuam animi, ingenijque elegantiæ, & eruditione præſtantis gloriam doctorum omnium iudicio ampliſſimam eſt conſecutus.

Secutum eſt difficile Barberinæ familiæ poſt obitum Vrbani tempus; vt opus illi fuerit ad extrema migrationis ab Vrbe conſilia ſe conferre; in qua expedienda nihil propius factum eſt, quàm (quia mare ad iter placuerat) vt exortæ fortuitò tempeſtatis ſæuitia peſſimè, & propè ad interitum mulctarentur. In huius vniuerſi periculi ſocietatem ſeſe conijcere magna cum animi alacritate Cæſar optauerat, inuituſque adeò primo turbarum illarum tempore apud Vrbem ſubſtiterat, ſupra quàm dici poteſt nauandæ in eam rem operæ cupidus; cùm propter eius familiæ priſtina de ſe merita, tùm propter recens beneficium amplificatæ ſuæ non mediocriter dignitatis. Quippe non ita pridem adſcitus erat in Collegium duodecim virorum, qui formandis literis Apoſtolicis præpoſiti ſunt, iuſque percipiendi fructus ei muneri attributos acceperat. Ad quorum alterum auctoritate Barberini Cardinalis, ad alterum etiam liberalitate, & facultatibus, eſt vſus. Nec verò multum interceſſit ſpatij, cum materiam referendæ per hoc genus officij gratiæ nactus eſt, quo tempore defuncto apud Pariſios Tadæo Barberino Vrbis Præfecto ad ſolatium relictæ ibi partis liberorum eius in Galliam vna

cum

cum matre ſe contulit. Magno autem hæc eius peregrinatio claris illis exulibus adiumento fuit ad gubernandas tali tempeſtate res ſuas; cum,ſuper domeſtica incommoda,in turbas, atque pericula nutantium ciuili motu Galliarum incidiſſent: magno item illi profectui ad animum pulcherrimarum rerum notitia ſubornandum, atque inſtruendum; cum florentiſſimæ Orbis terrarum nationis, inter tractanda, quibus erat intentus negotia,mores, & ſtudia,& populos ſibi penitus cognoſcendos ſuſcepiſſet, ſeque illi inuicem ſpectandum,admirandumque præbuiſſet, clariſſimaſque ſuas virtutes,& laudes, quarum famæ, ſecundiſſimæ mox apud eam gentem de ſe futuræ, prima iam tum fundamenta iecisse viſus eſt.

Cum autem interpoſito tandem ſpatio coorta illa aduerſus Barberinos tempeſtas non mediocriter reſediſſet, ac tædere cœpiſſet eius auctorem ſuæ ſeueritatis aduerſus clariſſimam familiam de ſe, deque Eccleſia, & Republica optimè meritam, iamque de reditu cum illa in gratiam, deque ea gratia affinitatis vinculo ſtabilienda conſilia agitarentur, idemque Cæſar conciliator eius fœderis,atque interpres placuiſſet; nihil fuit in illo ſplendido munere obeundo eius cõſilio maturius,nihil opera efficacius,nihil fide conſtantiaq; præſtantius: nihil porrò, poſtquam confectum ex ſententia negotium eſt, accidere illi potuit magis honorificum iudicijs de eo factis ab vniuerſa Ciuitate. Quæ, quod grauiter, moleſtèque infeſtas illas inter ſummos viros diſſenſiones tuliſſet; nullum finem faciebat gaudendi, & geſtiendi, auctoreſque ſuæ lætitiæ plauſibus in cœlum,& acclamationibus extollendi. Nemo autem omnium erat, qui Cæſari tanta confecta re omnia ſumma deberi non crederet; ac ipſum etiam purpuræ honorem,tradito præſertim Romanis Pontificibus more, locum, quem ipſi antea in ampliſſimo ordine tenuiſſent, arbitrio poſterorum eius Pontificis, à quo id beneficium accepiſſent, attribuendi. Nec erat quiſquam,qui dubitaret,quin in delectu ſic exornandæ perſonæ habenda eſſet ratio viri inter propinquos dignatione, auctoritate, & geſtis in Eccleſia honoribus facilè principis. Cum tamen grauiſſimis de cauſis in alia

omnia

omniai tum eſſet; incredibile dictu eſt, quàm fortiter, & ſapienter ſeſe præteritum tulerit, quàmque magnum ea occaſione ſpecimen dederit docilis, tractabilis, & ad nutum rationis ductilis animi. Qua ille moderatione, & facilitate ingenij aſſecutus eſt, vt planè dignus videretur commodis, & honoribus, quibus mox cumulatè in gratiam nouæ affinitatis eſt auctus. Quippe à ſapientiſſimo Principe, & ſumma in æſtimandis moribus hominum ſagacitate creditam ſuæ fidei, accepit partem Reipublicæ multò grauiſſimam in publico de adminiſtratione Ciuitatum Eccleſiæ Romanæ conſilio, in quo accipiendis, perſcribendiſque epiſtolis, & concipiendis decretis, & dimittendis mandatis, iiſque omnibus cum Principe communicandis præpoſitus eſt. Cum autem profligare delicta, & maleficia, comparataſque aduerſus ea animaduerſiones, & pœnas ordinare, & ſtatuere negotium huius conſilij, vel præcipuum ſit; dici non poteſt quantam in ea ſeueritatis publicæ adminiſtratione Cæſar non modò æquitatis, & abſtinentiæ, ſed etiam lenitatis, & manſuetudinis gloriam ſibi parauerit. Qua ſanè re difficile omninò factu erat, vt ſatisfaceret animo Principis, quem omnes nouimus iuſti tenacē fuiſſe, & ab inſito aduerſus malos, & ſontes odio ad vindicandum in peccata, & ſcelera inductione quadam naturæ propenſum. Quod tamen ille adeò cumulatè perfecit; vt probata ſemel oculatiſſimo viro fide, atque integritate, & modeſtia, quibus ille artibus libertatem loquendi ſuam condiebat; apertè interdum ab illo diſſentire auderet, ſuſceptaſque ab ſe reorum cauſas, tanquam apud iudices, cum eo diſceptare. Fiebatque non raro, vt ſenex ſummæ grauitatis, conſumatique iudicij in adoleſcentis ſententiam non grauatè concederet, nec vllum ea re ſuæ conſtantiæ, aut auctoritatis diſpendium ſe feciſſe arbitraretur.

Perrexit in hac eadem curanda prouincia Cæſar, etiam ſub Alexandro, qui Pontificatum Innocentij ſucceſſor exceperat, dilectus in paucis ab illo, atq; in pretio habitus; vt nihil maioris quicquam rei in adminiſtratione ſui principatus haberet, quod illi communicatum eſſe nollet, nihil, in quo conſi-

lium

lium eius, auctoritatemque verſari non cuperet.

Sed maximè omnium excellens viri virtus enituit aſperrimo illo,& pleno terroris peſtilentiæ tempore. Cui cladi primo grauiter è finibus Campaniæ imminenti occurrere, mox magno impetu ingruentem, perque omnis Vrbis partes longè,latèque diffuſam ab vniuerſi populi pernicie arcere,ac depellere Parens optimus cum ſuſcepiſſet; nullo præſentiore, magiſque efficaci ad inceptum tàm arduum perſequendum inſtrumento, quàm hoc miniſtro ſuo vſus eſt omni reclinata in eius, vt ita dicam, humeros tanti operis mole; propterea quod contagionibus morborum occurrere, incolumeſque, & ſecuros ab eo periculi genere populos preſtare Cōſilij publici, de quo iam diximus,munus eſt inter alia longè grauiſſimum.

Quid hic ego dicam Patres Eminentiſsimi, aut quomodo dicam, aut quid omninò non dicam? hæreo prorſus, dubiuſque, & incertus animi ſum, quam nam potiſsimum ex præſtantiſsimis eius laudibus in hoc negotio verſatam commemorem, exornandamque, & illuſtrandam aggrediar (piget enim initi de nuda narratione propoſiti)fidem ne,an diligentiam: conſilijne vim, an operæ celeritatem, patientiamne in tollerandis laboribus, an in adeundis periculis fortitudinem? Cum ſimul & Vrbis ſaluti,& Prouinciarum tutelæ vnius præcipuè cura, & vigilantia prouidendum eſſet, verſarique aſsiduè oporteret in promiſcua hominum turba, opem ab eo afflictis, & perditis rebus ſuis orantium. In quibus non pauci reperti ſunt, quos exitiali illo morbo correptos ad colloquium ſuum imprudens cum admiſiſſet; ſtatim inde digreſſos miſerandum in modum ab eo conſumptos audiuit. Sed mihi, qui omnibus his interfui nihil æquè admirationi fuit, quàm incredibilis quidam in hoc viro profundæ mentis captus, & cogitata expediendi felicitas; Vt cum ſilente foro, intermiſſiſque iudicijs, & omni Ciuitate in vnam corporum ſalutem intenta, reliqua penè omnia, quorum publicè conſulto, aut facto opus erat, illo miniſtro, atque arbitro tranſigerentur; in illa tamen negociorum omnis generis turba, illo curarum vndique affluentium æſtu nullum admodum diſtricti, aut oc-

cupati, aut ſub tanta rerum mole fatiſcentis animi ſignum daret; ſed hilarem ſe, iucundumque amicis præberet, iocíſque etiam, & vrbanitate in illa triſtiſsimarum rerum tractatione aſsiduè vteretur. Quò factum eſt, vt Princeps ſapientiſſimus, in cuius laudem, tanquam auctoris, & arbitri conſiliorum, hæc omnia redundabant, formidoloſa, & plena indignitatis de Vrbe deſerenda conſilia eo conſtantius repudiauerit, communemque ſibi fortunam cum populi ſui fortuna immoto, & de ſua ſtatione non decedenti eſſe voluerit, nec ſe corruptelis aſſentatorum, qui talia ſuadebant, verſandum, agitandumque præbuerit, non ſine feliciſſimo ſucceſſu laborioſi ſui aduerſus vim peſtilentiæ incepti. Quippe monſtrum illud omnium funeſtiſſimum, teterrimumque in Vrbe, & parte Italiæ, quam Eccleſiæ Romanæ amplectitur ditio, luſiſſe propemodum viſum eſt præ cladibus aliarum ciuitatum, & gentium, in quas malignitatis ſuæ virus intulerat.

Spectatam tot arduis in rebus ſingularem huius viri virtutẽ exercuere præterea non minore cum eius laude conſecuta æquè difficilia Reipublicæ tempora, cum orta ob rem fortuitam in animo Regij Gallorum Legati offenſione, quæ ad ipſius Regis dignitatem pertinere dicebatur, reſque iam ad arma ſpectare cępiſſet, eſſetque periculum, ne belli pernicioſi incendio omnis conflagraret Italia; reſtituendæ inter optimum parentem, & cariſſimum filium gratiæ ſequeſter, & interpres electus eſt. Hic enim verò theatrum ille idoneum nactus eſt vnde animus eius, qua ſui parte pulcherrimus eſſet, & Reipublicæ maximè vtilis adſpiceretur. Res erat quæ agebatur plena ſuſpicionum, plena inuidiæ: cum homines ignari rerum, & quibus conuulſia re Chriſtiana opus erat, pulſatum Regium Legatum: ipſum Regem contumelia affectum: validiſſimam omnium nationem ludibrio habitam, vaniſſimis ſermonibus, rumoribuſque differrent: ipſe Legatus vir ſumma dignitate, ſummaque potentia, inque animo Regis validus, & gratioſus in primis; quem propterea cuiuſquam mortalium auctoritate à ſuſcepto ſemel propoſito deterreri, aut auelli inanis operæ res erat. Hunc tamen Cæſar ſollerter odoratus homi-

hominem eſſè miti, tractabilique natura, & optimæ mentis, optimique propoſiti; tum ſi qua opportunus erat adiretur, facilem, apertum, & rationi maximè peruium. Hunc inquam adeò ſibi deuinxit, tam altè ſeſe in illius ſtudium erga ſe, & beneuolentiam inſinuauit; vt nihil eſſet tam arduum, quod ab illo non impetraret. Quæ res ne cui dubia eſſe poſſit, experimento longè clariſſimo compertum eſt, cuius ego experimenti hiſtoriam non minus lepore, quàm grauitate notabilem, propterea quod rei geſtæ præſens interfui, breuiter, & ſummatim exponam.

Agebamus in oppido S. Quirici, qui locus primo cum Legato congreſſui electus fuerat; & duriſſima quidem prima eius poſtulata fuere, donec colloquendo, & diſceptando, aliaque, atque alia ex ijs, quæ ſubinde proponebantur paulatim decerpendo non admodum grauia viſa ſunt, præ illis, quæ deinde audire, & admittere neceſſe fuit. Cum tamen adhuc Romæ grauiſſimis de cauſis non probarentur, eoque in ſummum diſcrimen adducta res eſſet, ne abrupta omni reconciliandæ gratiç actione infeſtis animis ab ea diſcederetur; breues à Legato quaſi inducias obtinuit, quoad miſſi eam in rem feſtini ad Vrbem nuntij commodius fortè aliquid afferrent; cumque eam veniam ſemel, atque iterum accepiſſet, tertio petere aggreſſus alienas prorſus ab ea mentione Legati aures offendit; cum certum, fixumque ſibi eſſe diceret nullam vlterius moram interponere, quin infecta pace diſcederet, violatumque ius gentium iuſtis, pijſque clariſſimi Regis armis repetendum relinqueret, eiuſque interim nomine apertas inimicitias propinquis Pontificis, domuique eius vniuerſæ denunciaret. Id autem voce, oculis, omnique habitu oris ad triſtitiam, ſeueritatemque compoſito ita executus eſt, vt nullum neque adhortationibus, neque precibus locum reliquiſſe videretur. Inſtare nihiloſecius Cæſar, & omnes induſtriæ neruos intendere: nihil reliqui facere, quod ad verſandum in omnes partes animum hominis valere poſſet. Quid multa? expugnat obſirmatum ſecum luctantis propoſitum; ſed præcipuè validiſſima omnium amoris adhibita machina, poſt quàm ad vr-

banitatem,iocoſque conuerſus, ſui quoque, ſuæq; priuatæ exiſtimationis reſpectum placidè,renidens,interpoſuit; ne ſcilicet obſcurus, & inglorius nullo nauatæ tàm diligenter operæ fructu ad Vrbem , & Pontificem reuerteretur . Namque vir humaniſſimus non vltrà cunctatus eſt, quin ſe animi victum,& in rogantis auctoritate futurum affirmaret; ea tamen, inquit, lege;vt ſanctè mihi promittas,hoc te idem vlterius,etiam ſi opus maximè tibi videbitur , non petiturum , vtque in hæc verba ſyngrapham conficias obligatæ tuæ fidei teſtem apud me futuram; quod illicò factum eſt,plaudentibus effusè nobis , qui præſentes eramus , mirificèque fauentibus candido,& liberali ſummi viri illius ingenio, qui amicitiæ intra paucos dies coalitæ tantum tribueret; vt ſanctiſſimis eius illecebris imparem conſtantiam ſuam eſſe crederet, quo modo Dictator olim Cæſar imparem aduerſus Tullianæ eloquentiæ tela expertus eſt decretam iam animo ſibi aduerſus C. Ligarium inclementiam .

Nec verò contentus vir ornatiſſimus præſentibus hiſce , & coram præbitis ſui ſtudij , atque amoris indicijs (quaſi illum collegam in aliquo magiſtratu ſumma cum animorum cōcordia geſto habuiſſet , ac non potius aduerſarium, & ſummis ſecum de rebus altercantem, ac diſſidentem , & à quo re infecta in omnibus de pace actionibus diſceſſiſſet) abſentem quoque poſtquàm in Patriam reuerſus eſt amare perrexit,& colere, & admirari , & exquiſitis tollere in cęlū laudibus,qua re nomen eius frequens in ore,& auribus florentiſſimæ illius Nationis,& fauorabile,& gratioſum effecit . Nuper autem cum periculoſo morbo implicitum audiuit , in eoque rem eſſe , vt vitium aquæ intercutis timeretur;tanquam illa curatio ſui potiſſimum officij,& muneris eſſet, ad agitanda pro ſalute eius conſilia, & præſidia expedienda ſe conuertit , eumque in vſum præſentiſſima,& miræ raritatis remedia, quanta maxima celeritate fieri potuit,in Vrbem tranſmiſit; ſera illa quidem,& irrita ; quippe biduo demum poſtquàm ſuo fato functus iam fuerat, allata ſunt . Hoc argumentum feliciſſimæ in demerendis hominum voluntatibus induſtriæ , ab homine claro illo quidem,& magno

gno, ſed tamen externo profectum, atque ab eo, qui cum illi breuis vſus, & creandis potius odijs, quàm amori conciliando idoneus interceſſiſſet: Hoc, inquam, argumentum propter exempli raritatem multò luculentius & vberius ad fidem dicto meo faciendam fore putaui quàm ſi ad amicorum promiſcuæ conſuetudinis conſtanter in hoc genere facta, & acutè dicta me contuliſſem. Quorum tamen magnam copiam habeo, nec magis numero quàm dignitate præſtantem. Teque imprimis Ampliſſime Cardinalis Alteri, veterem ſummi viri ſodalem, eidemque ſocietate grauiſſimorum in Rep: munerum, & mutuis omnis generis officijs intimè, arctiſſimèque deuinctum: cum quo propter acceptam vnà Senatoriam dignitatem, eòque proximum vobis attributum in Ampliſſimo Ordine locum, iucundiſſimos penè quotidie ſermones miſcebas: quem præclaris in ipſum, clienteſque eius, & neceſſarios congeſtis beneficijs, quem honorificis de eius virtute ſæpè factis iudicijs ampliſſimum, & ornatiſſimum eſſe voluiſti: quem denique cum, ſupremo hoc morbo laborioſè luctantem, ſtudio, conſilijs, opera ſubleuare, & ſi fieri poſſet vrgenti fato eripere, conatus es: cuius ſalutem, ac vitam votis, & precibus à Deo, ſuperiſque omnibus paciſci, & flagitare non deſtitiſti, tùm per te ipſum, tùm aduocatis in auxilium tuæ pietatis numeroſis rel[illegible]oſorum, Deoque dilectorum hominum agminibus, adm[illegible]ue efficaciſſima illa ad cœleſtem opem accerſendam liberalitatis in pauperes machina, nec vlla prætermiſſa re, quæ ad morandum adhùc ſuperſtitis amici ſpiritum, & honeſtandam extincti memoriam pertineret. Sed ad inſtitutam mihi inuictæ in hoc viro dexteritatis propoſitum, à quo longius digreſſus ſum, exequi pergam. Luculentum huius egregiæ virtutis teſtimonium retulit à Rainaldo Eſtenſi Cardinali, qui ſociatis cum Legato rationibus, & conſilijs in eodem illo Oppido conſederat. Cum enim, data occaſione, magnificare aggreſſus eſſet opes Regias, bellique, quod ab illo inſtaret, calamitates enumerare, quantoq; in diſcrimine omnis Italia, Latiumque, & Vrbs ipſa Roma verſaretur, cumque à reſpondente ad ea Cæſare quædam audiſſet, quæ ad eleuandas eas tragædias & formidi-

nes

nes pertinerent,idque iocosè,tempeſtiuè, & multa cum hilaritate dictum eſſet; en habet (exclamauit) Eccleſia Romana virum amplitudine ſua digniſſimum, cuius opera,ſi me audiet, in tractandis Regum,& Principũ ingenijs vti non intermittet; vt qui tã bene calleret artẽ diſſociandi res inter ſe naturà iunctiſſimas duas,periculũ offenſionis,& libertatẽ loquendi.Et hęc quidem dexteritatis & ſapientiæ;illud fidei & probitatis,quod in curandis, quæ acceperat, mandatis,ſententiam ſuam de ijs, quæ agenda erant à ſententia Principis diſcrepantem interponere,argumentiſque eam & rationibus prolixè confirmare per litteras non dubitaret. Vt qui facilè intelligebat hac vna maximè ratione verum amicum, & fidelem miniſtrum à ficto adulatore differre. Qua tamen ille loquendi libertate non ſolum nihil offendit apud Principem, qui ſuis ſenſibus & conſilijs,propter ſingulare,quo pollebat, ingenium, exquiſitamque doctrinam, meritò delectaretur; ſed eo maiore gratia fuit,vt qui paucos ante acceptum purpuræ honorem dies audire ab eo meruerit,breui futurum vt intelligeret, quàm vanum eſſet, quod vulgò iactatur, malè ſibi, rebuſque ſuis eos conſulere, qui Principibus contradicunt.

Non placuit irato noſtris peccatis cęleſti numini huic primæ pacis actioni ſucceſſus proſperos dare, idemque vſu venit ſecundæ,quæ in Alpibus eſt habita,ad quam ille profectus eſt cum ſplendido Legati Apoſtolici titulo ex eorum numero,qui miſſi nominantur; donec tertio tandem experimento in Ethruria apud Vrbem Piſas negotium omne ex ſententia confectum eſt, ijs quidem conditionibus, quarum auſteritatem, mora,& interuallis in immenſum auctam ſua dexteritate Cæſar, & ſapientia magnoperè leniuiſſet. Hoc certè aſſecutus eſt, vt longè æquiores acciperentur, quàm quæ ab optimo,& concordiæ ſtudioſiſſimo Pontifice, ſi ita res poſceret,accipi iubebantur. Vtcumque autem vniuerſa res hæc ſe habuerit, nemo omniũ fuit, cui non abundè perſuaſum eſſet de excellentis conſilij laude, quam in ea gerenda Cæſar eſt conſecutus, quique dubitare auderet quin illi meritò accidiſſent, effuſæ illæ, quibus rediens exceptus eſt, populi iuxta, Patrumque gratulationes, & plau-

& plauſus. Minimè verò dubitauit Sanctiſſimus Pontifex,qui debitum illi pridem ſacræ purpuræ honorem hac potiſſimum de cauſa non vltrà differendum putauit, adeòq; proximo ſupplemento Senatus ampliſſimo illum ordini adlegit, ſequente verò, quod poſt biennium factum eſt, renuntiauit, & conſueta illius honoris inſignia ferre iuſſit. Serius omninò quàm eximij viri promerita, & bonorum omnium ſtudia, & prudentiſſimi cuiuſque iudicia poſtulabant. Sed ego diuino arbitror conſilio iniectam incrementis eius fortunæ moram; vt quæ data ſorti dumtaxat natalium videri poſſent, virtuti quoque reddita eſſe conſtaret, accederetque eius gloriæ, quod nequaquã ſine ſudore, ac puluere tuliſſet hanc palmam;adeòque & ipſe haberet in ampliſſimo illo dignitatis gradu, quo magis quàm ipſa dignitate gauderet, & cęteri veris illum, & ſuis pretijs potius quàm alienis titulis æſtimarent, & magni facerent.

Quid iam hìc Patres Eminentiſſimi oratione cuiuſquam opus eſt, vt qualis,quantuſque in tanti honoris faſtigio vobiſcum vnà fuerit intelligatis? vos ipſi omnium locupletiſſimi teſtes apud vos recordamini, tacitique veſtris cogitationibus vobis ſubijcite,quæ fuerit eius in dicenda ſententia grauitas, in exercendis iudicijs religio, in promendis conſilijs, ordinandiſque ſapientia: quàm efficacem eius eloquentiæ vim, vbi conſulto opus eſſet, cognoueritis, quàm grauem in ijs, quæ diuersè antea ſenſeritis auctoritatem: quàm promptam viciſſim, ac paratam in mutando conſilio,& ſequenda meliore ſententia docilitatem: quàm effusè hominis modeſtia ſitis, & morum facilitate delectati, itemque vrbanitate,& ſalibus, quibus ille ſeueritatem ingenij ſui, & inuicti à vitiorum illecebris animi triſtitiam condiebat,quibuſq; tanquam machina quadam adhibita,non minus multa in animis audientium, quàm cum ſeriò loqueretur magnorum oratorum exemplo conficiebat. Sed ego à propoſito contrahendæ hoc loco orationis nonnihil diſceſſiſſe videor, & contra vetus prouerbium noctuas Athenas mittere aggreſſus. Reprimam itaque nimis cupidè cęptum verborum impetum,& in re minimè obſcura teſtibus non neceſſarijs vti deſinam.

Re-

Reliquum eſt, vt de rebus eius in Vrbinate legatione geſtis pauca dicam. Ad quam ille Reipublicæ partem nequaquam rudis, & inexercitus, ſed capto duodecim per annos regendorum populorum experimento in publico, de quo dixi apud Vrbem Conſilio acceſſit, cuius Cōſilij auctoritate, imperijſque non ſubiectæ modò Romano Pontifici gentes regnantur, ſed etiam ipſarum gentium Rectores, & Præſides; quorum quotidiana in vtramque partem exempla cum prodeant, ſuo cuiuſque auctores honore, aut ignominia conſequenter; fieri non poteſt, vt ij, quos talibus non ſolùm intereſſe, ſed etiam præeſſe contingit non eximij ſint in hoc genere laudis. Atqui nihil minus expediebat viro clariſſimo, ad retinendam hactenus partam exiſtimationem, & famam, quàm hæc ipſa, de qua diſputo, ratio: propter expectationem, quæ in animis hominum hæc eadem apud ſe reputantium incredibilis de illo erat commota; quòd nihil vulgare, nihil vſitatum, nihil quod ab alio quoquam effici poſſet humaniſſimæ illæ gentes eo Rectore ſibi, rebuſque ſuis augurarentur. Quod quidem quanti momenti ſit ad extenuandum omnem ſperatæ gloriæ prouentum nemo eſt, qui non intelligat. Sed vicit, ac deuorauit, vt ita dicam, omnia incommoda, omneſq; obices conſtans, & obfirmatum maximi viri in bona mente propoſitū, & excellens ad ea, quæ ſibi propoſuiſſet efficienda naturæ vis, ingenijque præſentia; quibus factum eſt, vt quem in prouinciam profecturum magna fama præceſſerat, maior, clariorque, & auguſtior præſens, & datis coram experimentis inuentus ſit. Animus recti tenax: vitiorum oſor: non minus à gratia, quàm à ſordibus inuictus: nulli peruius cupiditati: integritatis, & abſtinentiæ in ijs omnibus, quibus partem aliquam ſui gerendi muneris credidiſſet ſeuerus exactor: apertæ ad omnium querelas aures: nulli ad ſubmouendos ad ſe adeuntes obices, nulla clauſtra, nulli lictores; ſed præſtò ſemper, & parata ad conſulendum notis, ignotiſque benignitas: Nec verò ad iam cęptas ſolum inter ciues controuerſias æquitate iudicij finiendas; ſed ad excindēda earum, quæ impoſterum oriri poſſent ſemina intentum, & efficax ſtudium;

dium; vt ſi fieri poſſet celebratam illam Horatiano carmine fori à litibus orbitatem in ſuæ ditionis ciuitates induceret, fremerent deinde licet, & rumperentur clamoſa cauſidicorum turba, quique alij vermium inſtar, niſi corruptis diſcordia moribus hominum, & voluntatibus ali, ſuſtentarique non poſſunt.

Huc pertinet nauata ab illo ſtrenuè, & diligenter opera, ad reſtinguenda odia, & ſimultates, quæ non ſingulos modò inter ſe homines, ſed gentes, atque familias vniuerſim tranſmiſſis paſſim, quaſi hæreditario iure, inimicitijs collidebant. Qua in re adeò felix eius induſtria fuit, tàm latè patens, atq; diffuſus laboris in id adhibiti fructus; vt, quæ olim inter ſumma rerum humanarum capita præclara in hoc genere, & egregia confeciſſet, tyrocinium videri poſſint nobiliſſimi eius ſtruendæ inter mortales gratiæ artificij, quod deinde maiore animo, ex loco ſuperiore, & addita conſilijs imperij auctoritate, vberius, & maiore cum quæſtu publicæ felicitatis exerceret. Hæc autem, multaque præterea, quæ ſigillatim commemorare ſuperuacuum eſt, ſtrenuè ab illo facta, & ſapienter conſulta cùm in oculis nobiliſſimæ prouinciæ, & ſpecie magnifica, & vſu ſalutaria, & ipſa tractatione iucunda acciderent; incredibile dictu eſt quanta erga illũ ſtudia, quales amores in omnium animis excitarent, quamque ſe fortunatas illæ ciuitates, ac gentes talem nactæ Principem, ac Parentem arbitrarentur; vt iam maioribus ſuis felicia illa tempora ſuperioris ætatis, quibus illi ſeſe præ cęteris omnibus Italiæ populis glorioſos florenteſque iactauerant, inuidere deſinerent, vetereſque ſuos Federicos, & Guidubaldos, clariſſima illa ciuilis ſapientiæ nomina, minore cum deſiderio, memoria, & ſermonibus vſurparent.

Sed mihi, dum temporum ſeriem nimis religioſè in dicendo conſector, penè dicere excidit, quod omnium maximè dicendum erat, & per omnia ætatis eius tempora peræquè porrectum eſt, eximia, inquam, huius viri in officijs amicitiæ colendis fides, & diligentia, qua maximè inter principes ciuitatis vita eius inſignis, & memorabilis fuit. Non ille obiter,

D &tem-

& temporis cauſa; ſed ſolidè,& ex animo diligebat, quos, habito delectu,amore ſuo dignos duxiſſet: nihil autem hic fuci, nihil ad ſpeciem,oſtentationemque compoſiti: nihil remiſſi: nihil inſtrenui: facere occupabat, quod amicos petere ab ſe æquum eſſe iudicaſſet; eòque gratuitum etiam à rubore, qui precibus adiunctus eſſe ſolet, munus efficiebat ſuum; vt qui hoc ipſum commodare,& benefacere in fructu,& pretio operæ ſuæ poneret, nec præterea quidquam inde ad ſe redire vellet. Nec verò vnum,aut ſimplex erat benemerendi genus: cùm alijs opera, alijs gratia, alijs conſilio præſtò eſſe gauderet, ſeque cum Principe, cum Patribus, & vbicumque opus eſſet,libentèr interponere, nullo ſui, ſuarumque rationum reſpectu,quaſi tantundem propriæ ſpei detrahi videretur,quantum pro alijs impetraſſet: Nec minus ad amplificandas amici fortunas, quàm ad propulſandas calamitates induſtriæ,ſtudijque conferre, quod genus beneuolentiæ, opinione rarius eſt, & ab vſu vulgaris hominum turbæ remotius; quorum plerique omnes non magis ſolliciti ſunt,ne miſeros,iacentesque amicos, quàm ne admodum felices, ſibique æquatos adſpiciant;peſſimà,eademque frequentiſſimà amoris,inuidięque, inter maximè coniunctos innaſci ſolitæ,mixturà. Nullum ille lucrum, nullum commodum in amicis colendis ſectabatur; eiuſque rei cùm multa alia documenta ſunt; cùm illud multò clariſſimum, quod inſtitutus hæres ex aſſe admodum pingui à Ioanne Baptiſta Rinalduccio,viro non mediocris in ciuitate ingenij, doctrinæque fama; contentus præclaro de ſe facto à vetere amico iudicio,itemque ſcriptis quibuſdam,ab illo elucubratis,reliqua omnia legitimis hæredibus fruenda conceſſit, quamuis eo tempore, ob ſumptus non mediocres ad inſtruendã nouã ſuã in ampliſſimo ordine dignitatem factos,æs alienum grande contraxerit, eamque ob rem tantam moleſtiam caperet, tàmque frequens de ea ſermo illius eſſet, & cum fortuna expoſtulatio; vt quibus audire talia neceſſe erat, conſuetam hominis alijs in rebus animi magnitudinem requireremus. Quæ tamen omnia perferre, & tolerare ſatius duxit, quàm committere, vt ſanctiſſimo amicitiæ fœdere ad

vtili-

vtilitatem, & quæſtum, quantumuis laudatum, & honorificum, abuſus eſſe videri poſſet.

Habetis, Eminentiſſimi Principes egregij Collegæ veſtri, qualis à malo pictore delineari potuit; nõ tamẽ adhuc vſquequaque abſolutam imaginem. Quippè illam ea parte dumtaxat intuendam vobis propoſui, quà publicus eius aſpectus, & omnium oculis expoſitus fuit: cùm Rempublicam tractaret: cùm in Aulæ, cùm in fori luce, cùm in gentium omnium arbitrio verſaretur. Qua facie ſi vobis magnus, & admirabilis viſus eſt; maiorem propemodum, & admirabiliorem viſum iri ſcitote, ſi virtutem eiuſdem in ſe ipſum intenti, ſibique vacantis, remque ſuam priuatam agentis conſiderabitis.

De moribus hominum rectè philoſophari, ciuitatum, & gentium ingenia, & leges, & ſtudia habere perſpecta, cæteraſque res omnes humanas, quæ extra quemque noſtrum ſunt intelligentià, & cognitione complecti, magnæ ſine dubio eſt, ſed tamen humanæ ſapientiæ. Se verò ipſum noſſe, (ſi quid conſentienti in hoc antiquitati vniuerſæ credimus) cæleſtis, & acceptæ Diuinitùs doctrinæ res eſt; ardua ſcilicet imprimis, & operoſa, eademque vtilis ante alias, maximèque frugifera, & ſalutaris. Hac ego ratione ſe ipſum regere, ſibique, & ſuo animo imperare, quàm ſi ampliſſima in alios imperia exerceas multò vtilius, multòque præſtantius eſſe ſtatuo, artemque, & facultatem, quæ hoc ipſum rectè, & cùm ratione facere præcipit, cęterarum artium, facultatumq ue pulcherrimam eſſe, & humanæ vitæ ante omnes alias neceſſariam. Quam tamen artem fato, quodam cęcitatis humanæ, quaſi vanam, & ingloriam plerique omnes, ſummi pariter, infimique contemnimus, & debitas ſuis quiſque temporibus curas aſſiduè ad res alienas, & maximè publicas tractandas extendimus, ſimul opinionis errore ducti, ſimul inconſulto quodam proferendi nos vtcumque conſilio.

Quod niſi ita quàm ſæpiſſimè fieret: ſique ſuarum quiſque curarum, & cogitationum ſatis amplam prouinciam ſe ipſum, reſque ſuas priuatas eſſe crederet, ac nemo ad rem capeſſendam publicam, niſi ſua priuata rectè antea conſtituta, hoc eſt,

 niſi

niſi magnis, & non vulgaribus naturæ, doctrinæq; adiumentis inſtructus accederet; meliore profectò loco humanæ res eſſent, nec tantis immanium incommodorum, & cladium quaſi procellis, & turbinibus agitarentur.

Hæc & huiuſmodi philoſophiæ minimè vulgaris præcepta cùm ille penitus animo fixa, & recondita haberet; eſſetque ob inſitam animi modeſtiam ſuarum rerum parciſſimus exiſtimator, nec magnoperè aliorum ſe laudantium, ſuaque mirantium vocibns commoueretur; nihil ſibi cùm aula, nihil cùm Republica, nihil cùm magnis,& modum ſuum priuatum excedentibus negocijs eſſe ſtatuerat; contentus modico genere vitæ inter collegas ſuos Lateranenſes ſacerdotes non ignauo, neque inerudito in otio,ad mortem vſque,degendæ. Mirus animi tranquillitatis amator, quique in ore aſſiduè haberet veteres illos ſolitudinis cultores, quos ſibi,quantum ſuſcepta iam viuendi ratio pateretur,maximè imitandos decreuerat. Manſiſſetq; in ea ratione per omnem ætatem ſequenda, niſi interueniſſet auctoritas viri grauiſſimi, propinqui ſui, ſumma in Eccleſia dignitate, cuius reſpectu, matriſque præterea, & amicorum adhortationibus, & tantum non conuicio adductus eſt, vt omiſſa virtuti animi ſui diſſentiente philoſophia, in collegium duodecim virorum, qui formandis litteris Apoſtolicis præpoſiti ſunt, vt ante diximus, adſciſci ſe pateretur. Quamuis autem in hoc ille magiſtratu, propter adiunctum illi magnam tùm in foro, tùm apud Principem clareſcendi facultatem,res gerere, & negocijs implicari,amicorumq; & clientium temporibus inſeruire inſtituiſſet: quamuis inde per alios, alioſque honorum gradus,per obita munera, per adminiſtratas prouincias in media Republica verſari non intermitteret, animumque non minus quàm corpus varietate,& multitudine occupationum diſtrictum haberet; inibat nihilò ſecius rationem,qua retineret priſtinam illam ſuam animi tranquillitatem, & ſtudium otij non inglorij, ac ſolitudinis in ipſa hominum,& negotiorum frequentia vſurpandæ; cum exemplo magni Africani ſæpè ſubduceret ſe multitudini, & rerum turbis, animumque ſapientiæ præceptis, & rerum

rum cęleſtium meditatione aduerſus fortunæ vim, & vitiorum illecebras ſubornaret. Hunc ego pulcherrimum habitum eius animi ſoleo interdum iucundiſſima recordatione mecum ipſe recolere, cùm æſtus omnes curarum, & aulæ ſtrepitum, & fori iurgia, quæ alij vel obruendo ſatis eſſent, non plus illi negotij exhibere animaduerterem, quàm maris, ventorumque vim magno alicui nauigio, æquali curſu iter ſuſceptum perſequenti, & minutos circa ſe lembos laborantes, & naufragio proximos prætereunti. Teſtes generoſi illi mentis Dei charitate flagrantis excurſus, ab illo ſubinde editi, & ſcripto conſignati. Quæ ego ſcripta eum lego, nequaquam hominem occupatum, & humanis curis diſtractum, ſed veterem quempiam Nitriæ, Thebęarumque ſiluarum incolam, vigilijs, & ieiunijs confectum cogito; eminet ſiquidem in verbis illorum, atque ſententijs imago quędam ſimplicitatis verè chriſtianę, & animi honeſtis cogitationibus exerciti, in vnũ Deum intenti, & humana pręclarè deſpicientis. Ipſum genus orationis promptum, & profluens, plenum dignitatis, plenum fidei; vt non os loqui, neque digiti ſcribere, ſed pectus ipſum ſuorum receſſuum impatiens foras erumpere, & ſplendidum ſui ſpectaculum prębere videatur. Quàm auguſta ſpecie legentium animis occurrit cùm ipſe ſuis laudibus chriſtianæ modeſtię ſtudio apud ſemetipſum obtrectare non dubitat: cùm in vitam, moreſque ſuos verbis ſeueriſſimis animaduertit; cùm res ſuas pro Republica geſtas ab ſe penitus abiudicat, et ad vnum Deum refert auctorem, nec aliud laborum ſuorum pręmium, quàm rectam conſcientiam, & Dei gloriam ſibi proponit: cùm ad rumores purpurę ſuę conſtantia, grauitate, & pari in vtramque fortunam conſiliorum tenore munitum ſe prębet, ſuperoſque omnes votis, precibuſque fatigat, ne aut negatus honos demitteret, aut delatus plus æquo efferret animum ſuum: cùm poſt adeptam purpuram ad finem vſque vitæ, prout quid proſperi, vel aduerſi, aut omninò maioris negotij incidiſſet, mente terrenis abducta curis, in Deum erecta, atque in grates, aut preces effuſa conſiſtit.

Huiuſmodi frequentes, & penè quotidiani ſummi viri in

ſe metipſum receptus, & pleni feruentiſſimę in Deum charitatis impetus, quos identidem capiebat, non ſecus, ac exercitatio corporis valetudini facere ſolet, virtutem eius minimè remitti, hebetarique ſinebat; fortemque illum in periculis, conſtantem in doloribus, inuictum à voluptatibus, omnis humani terroris expertem præſtabant, atque vt ductum potius rationis, & ſeueras chriſtianę philoſophię regulas, quàm quò ſe humanus ſenſus impelleret in ordinandis ſuis affectibus ſequeretur, efficiebant. Hinc illa, de qua prolixè initio diſputatum à nobis eſt, ſecuritas in obeunda morte, cuius horribili aſpectu cùm mentis oculos porrecta per omnem vitam meditatione duraſſet, callumque in illis ad ſolitos eius formidinum ictus obduci curaſſet; mirum non eſt ſi præſentem, & manus ſibi inijcientem non exhorruit, nec eam quaſi calamitatem aliquam, aut cladem; ſed quaſi metam decurſi mortalis vitę ſtadij, quaſi terminum humanarum miſeriarum, quaſi ianuam æternę adeundę glorię hilaris, & ſecurus adſpexit.

Hinc etiam illa tanto cum plauſu ciuitatis excepta rei familiaris poſt obitum ordinandę ratio, & nouiſſima de ijs, quę in hoc genere fieri vellet prudentię, & pietatis plena mandata. Quod genus actionis imaginem animi, teſtem vitæ, & morum indicem rectè à ſapientibus nominari haud ſcio, an clarioribus vnquã aliàs documentis perſpectum ſit. Nihil illi optimo fratre charius, nihil lectiſſimis adoleſcentibus fratris filijs iucundius, aut fuit, aut eſſe potuit, propter eorum ſuauiſſimos mores, inſigneſque virtutes, & concordem ſecum, plenumque incredibilis erga ſe obſequij animum, quibus adductus tantum huic generi chatitatis indulgebat, vt nullum finem faceret de eorum ornamentjs, & commodis amantiſſimè cogitandi, nihil omninò prætermitteret, quò eos quàm beatiſſimos, & quàm ampliſſimos redderet. Vtq; in Patriam ſuã ſexcentos poſt annos alter à clariſſimo ciue ſuo Petro Damiani Romanę purpurę decus inuexerat, pręclarè intelligebat inchoatũ, cõmuni hominum iudicio, & mutilũ relinqui quidquid ad illuſtrandã eo ſplendore poſteritatẽ ſuã effeciſſet, niſi opi-

opibus illa,& copijs partæ dignitati conuenientibus inſtrueretur, cumque cumulum cępto iam ſibi amplificandæ familiæ operi ab ſe depoſci, ſuique muneris, & beneficij eſſe debere. Cui quidem affectui, & ſponte naturæ,& tot cauſarum grauiſſimarum acceſſione vni omnium flagrantiſſimo, tamen honeſtatis, & communis boni reſpectu,& illuſtris prodēdi exempli cauſa imperare hactenus potuiſſe; vt chariſſima ſibi capita ſupremis teſtamenti tabulis ab ſe prætcrita, & externo hæredi poſthabita diſcedere ſuſtineret,inuſitati cuiuſdam animi roboris fuit, & humanarum virium modum propè ſupergreſſę virtutis. Pridem ille ſingulari ſua liberalitate perfecerat, ne ea parte facultatum ſuarum, quam à maioribus accepiſſet, quiſquam alius, quàm eorundem poſteritas augeretur, neque hoc ipſum in ea teſtamenti cera,vbi legata ſcribuntur, prouiderę neglexerat. Quæ autem reliqua erant,ne ad Eccleſiam, vndè eſſent profecta, ex tradito Canonum Apoſtolorum pręſcripto,redirent, à ſeuero honeſtatis, & officij cultore caro, & ſanguis (vt vſitato chriſtianę philoſophię dicendi genere vtar) impetrare non potuit, nec vllo molliore affectu fixum, & obduratum in recta ratione exactè ſequenda pectus perrumpere.

Addidit actioni per ſe ſplendidæ claritatem delectus adhibitus in hærede nuncupando; Namque ille ex omnibus Senatorij ſui muneris partibus ea maximè delectabatur, quæ pertinet ad ſummam Religionis tùm conſeruandæ vbi floreret,tùm vndè excidiſſet reſtituendæ, tùm quò adhùc non penetraſſet, inducendæ, ac ſtatuendæ. Cum autem mirificè probaret erectæ nuper ſodalitatis apud Vrbem inſtitutum de hæreticorum ad Eccleſiæ gremium redeuntium fouenda, & adiuuanda conſtantia, deque prouidendo ne quid ad eam labefactandam,validiſſimis telis,inopiæ, egeſtatique liceret, quod huic neophytorum generi interclußus ad patriam reditus, & paternorum bonorum negatus plerumque fructus eſt; ſatis intelligebat ſi ad cauſam tàm præclaram opes, facultateſque ſuas contuliſſet, ne moriendo quidem ſeſe grauiſſimi ſui muneris functionem intermiſſurum, proferendi ſcilicet fidei, & religionis imperij, ſed in acie Eccleſiæ militantis in eorum bellatorum numero

futu-

futurum, qui à loco, quem ad pugnandum acceperint ne profuſa quidem anima exceſſiſſe laudantur. Cui propterea cauſæ honorificum hæredis nomen, ac titulum conceſſiſſe glorioſius multò, & ad famam, dignitatemque vberius, quàm accepiſſe, legitimis hæredibus fuit; cum ea re non tàm patrimonio teſtatoris excluſos ſe cernant, quàm admiſſos, & inuitatos ad eiuſdem patrimonium longè opulentiſſimum dignitatis, & gloriæ, quippe cui augendo opes,& copiæ iure naturæ ſibi debitæ adhibitæ ſint. Patrimonium, inquam, quod non imber edax, non aquilo impotens poſſint diruere, aut innumerabilis annorum ſeries, & fuga temporum; ad quod adeò neque erugini, neque tineæ euangelico præcepto cauendis acceſſus eſt. Quo propterea nomine vir hic maximus cum tota ſua poſteritate multò iuſtius, quàm profanus ille vates magnificas voces illas vſurpare poteſt. Non omnis moriar,magnaque pars mei vitabit Libitinam. Hinc etiam iterum,ac ſæpius illa nunquam ſatis laudata mortis opetendæ ſecuritas, cui ſanè nobis clientibus eius, & neceſſarijs quamquam magna ſpe ob tanti Patroni iacturam deiectis, non reſpondere, ſenſuſque, & affectus noſtros non accommodare non licuit: neque omninò imperare nobis putuimus ne ſuppreſſo dolore tali caſui conueniente, pro luctu, & comploratione charorum funeribus debita in plauſus inter nos, & gratulationes effunderemur, & actũ eſſe cum illo præclarè, nec mortuum talem virum, ſed ad famæ immortalitatem, ad æternam nominis gloriam, ad nunquam deſitura Cœleſtis patriæ gaudia emiſſum,ſine fine prædicaremus.

Quod cùm ſæpè aliàs fecimus, tùm potiſſimum ipſo exequiarum, & iuſtorum funebrium die, quæ inter ſolemnia encæniorum, & feſtam memoriam dedicati ſanctiſſimo Ieſu nomini templi, in quo funeratus eſt, non caſus aliquis, aut fortuna coniecit; ſed hoc ipſum agens diuina prouidentia, vt non tàm funere elatus, & ſepulturæ traditus, quàm triumphali fauſtiſſimarum ceremoniarum pompa,quaſi in cœleſte capitolium deductus, & illatus ſideribus videretur. Macte animi virtute vir clariſſimè, interque clariſsima ſęculi noſtri decora, & exem-

& exempla cùm propter vitam ſtrenuè, & innocenter actam, cùm propter mortem piè, & conſtanter obitam recenſende: Fruere iſtis,ad quæ vnicè per omnem vitam adſpiraſti, Cęleſtis Patriæ gaudijs, & ſanctiſsima amicitiæ iura, quorum te cultorem eximium,dum inter nos ageres,experti ſumus,in iſta ęternæ felicitatis, quam obtines, Regia erga tui cupidos, & ſtudioſos tueri, & retinere non intermitte. Quò fiat vt nequaquam interciſum nobis te moriente tuum patrocinium, ſed meliorem ad vſum translatum diuinæ gratiæ, per te nobis conciliandæ incremento, aſsiduàque præſentia intelligamus; dum nos interea dicta, factaque tua, expreſſamque in ijs vitæ, morumque tuorum imaginem, & quidquid prætereà expleta mortalitate reliquum inter nos tui, atque ſuperſtes eſt, gratiſsima apud animos noſtros recordatione, quòad vita ſuppeditet,retinebimus.

F I N I S.



39 9520 71

1042. 6
Z

Digitized by Google